Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2175
Quelle:
Copyright:

mel vero etiam, nempe *fol.* 237. *p.* 2. aulaeum ejusdem rationis juxta adpensum habeat vix dubium sit, *Galliam* innui.

DCCCCVI.

R. 1269 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 139. 8. eleganter scriptus, et praeter complures auro, coloribusque florulentos margines XIX. Iconibus splendide depictis, quarum XIII. mysteria vitae et mortis Christi, ejusque Matris, reliquae VI. Scuta gentilitia repraesentant, ornatus varia Precandi Exercitia continet, nempe *Cursum de Passione Domini secundum Rubricam Wratislauiensem*, *Horas canonicas pro laude beatissime virginis Marie*, denique *septem psalmos penitenciales* cum Litaniis OO. SS. Atque ex his Litaniis erui posse videtur, in cujus usum Codex hic olim scriptus fuerit, quidque sibi sparsa per illum Scuta gentilitia velint. Invocantur in iis non modo *Wenceslaus*, *Adalbertus*, *Sigismundus*, *Georgius*, *Procopius* et *Ludmilla Bohemiae* Indigetes, sed *fol.* 136. p. 2. oratur: *Ut mihi famulo tuo G. sanitatem et victoriam in hoc seculo, et post mortem vitam eternam concedere digneris. Fol.* 53. p. 2. juvenis hic *G.* habitu et pileo ducali decoratus ante Deiparam genua flectit. Ajo igitur, juvenem hunc esse *Georgium* Ducem *Olsnensem Henrici* Ducis *Münsterbergensis*, qui Regis *Boh. Georgii Cunstadii de Podiebrad* tertio genitus fuerat, secundo genitum natum 1470. defunctum 1502. Atque hinc facile Scuta gentilitia explicantur. Primum, quod Codicem auspicatur, in medio Scutulum *Cunstadianum* exhibet argenteum superne ter nigro fasciatum. In Quadro dextro superno et sinistro inferno Aquila *Münsterbergensis* nigro rubroque ad perpendiculum secta, lunula pectorali argentea, in Quadro sinistro superno, et dextro inferno Insigne Comit. *Glaciensis* rubrum fascia bina aurea incurva comparet. Igitur Insignia *Henrici* Patris. Eadem ratione Insignia Matris *Ursulae Brandeburgicae* Codicem terminant, inprimis Scutulum medium argento nigroque quadrifariam sectum *Zolleranum*, dein in Quadro dextro superiore Aquila rubra *Brandeburgica*, in inferiore Leo niger rubro coronatus *Burggraviorum Norimberg.* in utroque sinistro argenteo Gryphus ruber ob partem *Pomeraniae*, quae jam tunc Marchionibus *Brandeb.* cesserat. In reliquis Iconibus partim eadem Scuta jam majore, jam minore forma redeunt, partim haec nova visuntur: *Sternbergiorum* Stella aurea in area caerulea, quod *Henrici* Ducis Mater *Cunegundis Sternbergia* fuit; *Lignicense* rubro, alboque tessellatum fortasse, quod *Fridericus* I. Dux Lignic. *Ludmillam Henrici* sororem in matrimonio habuit; *Oppaviense* rubro et albo deorsum sectum, quod, ut videtur, *Victorinus Henrici* Frater hunc Principatum aliquam-